



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

**Dript, Laurentius a**

**Paderbornae, 1672**

1. Licet occidere calumniosum actorem, Testes, & injustum judicem, ad servandam vitam, vel res familiares.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13441**

## PROPOSITIO I.

*Licet occidere calumniosum actorem. Testes, & injustum judicem, ad servandam vitam, vel res familiares.*

2. **S**ed hanc propositionem ad instantiam *Episcopi Gandavensis* censuravit primum quidem *facultas Theologica Lovaniensis Anno 1657.* 4. *Maijac* de post felicissima recordat. *Alexander VII. Anno 1665.* 2. *Off.* Volebant nimirum hujus assertionis inventores, ut prætermisso ordine juris, quo aliquis in propria causa judex esse nequit, nec privata auctoritate, nisi naturalis, cum moderamine inculpatae tutelae defensionis causa, aliquem occidere liceat: Cuilibet privato concedere quod nec Principi de Jure concessum est, ut scilicet pro libitu suo aliquem occideret, vel occidi juberet, nisi forte quem in flagranti homicidij, vel simili crimine apprehendisset.

3. Merito proinde, hanc assertionem præfata *schola Lovaniensis* judicavit ab omni

nandam execrandamq; Vtpote qua assassinatis, scariatis & intoxicatis temere patrocinetur & iudicibus, advocatis aliisque publicis iustitiæ ministris, quin & ipsis quoque Principibus presentissimum procreet periculum: Et nihilominus quod summæ dolendum, hæ & plures supra adductæ & infra adducendæ sententiæ, ita jam apud recentiores Theologos invaluerunt, ut illis, tanquam certissimis assentiantur: sed generale à *S. Augustino* allegatum principium corpori Juris Canonici insertum *causa. 23. q. 5. c. 9.* hic ab omnibus attendendum est. *His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons iustitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur: Ex quibus patet quid dicendum ad eas quæ sequuntur.*

## PROPOSITIO II.

*Licet Clerico & Religioso calumniatorem gravia Crimina de se vel sua religione spargere minitantem occidere, dum alius defendendi modus non suppetit.*

4. Hanc